

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0640

0638

0644

0634

0649

0629

0689

67

sibili palmites agitans ad quietem impulit lassos. Interea quidam peregrini parvo somno habito surrexerunt et contra rivi decursum transierunt, ut irent ad locum, ubi emanat de monte. Quibus occurrit quidam Sarracenus et eos cum lapidibus fugavit et in locum suum ire coegit.

**Descriptio fontis Helizaei prophetae, qualis fuerit et qualis nunc sit?**

Fons, ex quo rivus fluit, dicitur fons Helizaei, cuius ortus non longe erat a loco, in quo quievimus, quamvis ad eum accedere permissi non fuimus. Eruerat enim de montis (207 A) crepidine; cum impetu copiosas aquas emittit, quae de saltu descendunt [et] campestria circa Jericho irrigant, a quibus defluens contra mare mortuum in illud labitur. Porro aquae illius fontis ante tempora Helizaei erant semper amarissimae, pestiferae, morbidae, steriles et mortiferae, sicut et aqua maris mortui. Unde multis erat suspicio, quod per occultum subterraneum gurgitem ascenderet aqua maris mortui usque huc et hic erumpens iterum in suam originem refluere. Sunt autem ab origine illius fontis usque ad mare mortuum tria milliaria alemannica. Ante Helizaeum nullo modo erat aqua illa potabilis, nec hominibus nec bestiis, sed qui siti coactus bibere praesumsit, mox os, palatum, lingua et guttur abominabili amaritudine inficiebatur, et si repente sorbens imbibit, statim peste aut alio morbo mortifero inficiebatur, ad quem mors sequebatur; sic et hodie aqua maris mortui facit. Insuper mulier hac aqua utens sterilis prorsus reddebaratur; et quae iam foetum conceperat, ad gustum hujus aquae extinguebatur. Sic et bestiis similiter contigit. Terra aqua hac perfusa nihil virens producere valuit, sed inutilis reddebaratur, unde civitas Jericho multum gravabatur hujus pessimae aquae decursu. Quodam autem tempore declinavit propheta Helizaeus ad Jericho, quem viri Jericho cum honore et gaudio suscepserunt, et eo interrogante de statu civitatis dixerunt: ecce habitatio hujus civitatis optima est, sed aquae ejus pessimae et steriles. Hoc audiens propheta accepto vasculo pleno sale egressus est ad fontis originem, et sal ipsum in

5 \*

Ende

Anfang